

pit, quomodo hanc Doctrinam locupletare & pleniorē efficere posset. Dum hoc mente & animo suo agitat, fama de Copernici admirandis hypothēsis. percrebescit. Rheticus quanquam tunc professorem ageret Mathematū in florentissima Academia Vitebergensi, tamen teneri non potuit, quin tantum virum primo quoque tempore adiret. Profectus igitur ad Copernicum, cū coram de hypothēsis. cognouisset, renunciata professione apud eum mansit. Copernicus tunc in opere suo Revolutionum occupabatur, iamque Doctrinam Secund. mobilium, ut vocant, absoluerat, ut præter Primi mobilis Doctrinam nihil restaret amplius. Hanc omnino quidem intactam relinquere constituerat Copernicus, sed instabat, adeoque eum urgebat amicus, cui id honestè non poterat denegare. Quam ad rem cū ex libris, quos per paucos habuit, ut ex Rhetico accepi, subsidium petere non posset, ipse se ad excogitandum demōstrationem rei exquirendæ idoneam conuertit. Cū autem diu multumque cogitasset, neque tamen voti compos fieri posset, desperata tandem tam necessariæ demōstrationis inuentione, opus suum suppressere decreuit. Veritus tamen amici cuius in primis habēda ei erat ratio, quas abiecerat cogitationes, repetijt, ac rem, quam tanto perè desiderauit, tandē inuenit. Sed Georgio Ioachimo Rhetico hac occasione non tantum de Globi sectoribus, & Triquetris pyramidum basibus in mentē venit, sed idem deprehendit etiam Triquetrum cum recto Totius Matheseos Magistrū omnium rectissime rationem condendi Canonis perfectam suppeditare posse. Hanc igitur occasionem amplificandi Doctrinam Triangulorum nactus, magno animo, magnoque conatu rem aggressus est. Ac Primū, quia noua ratio nouam requirebat loquēdi formam, Sarracenicā missā propriam & accommodatam suis rationibus adhibuit. Quod igitur illi Sinum rectum & Sinum primum dixerunt, id Rheticus nominauit perpendiculū tam BC arcus, quā BAF anguli. Quod idem Sinum Secundum, vel sinum complementi ad Quadrantem, ut rectam AF, idem eiusdem arcus & anguli basin. Quod illi Sinum versum & Sagittam, ut CF rectam, hic minus Segmentum Diametri in proportione. Qua loquēdi forma quā concinnè & aptè vsus sit Rheticus, ex eodē Diagrammate patet. Libuit Sarracenis perpendiculū BF appellare Sinum, & Sinum quidem BF vtriusque tam BC arcus, quā BAF anguli. quare non licuisset Rhetico, in Triquetrorū Doctrina BF semissem subtensæ dupli BC arcus, ut est, ita etiam appellare perpendiculum, tametsi nomē generis sic speciei tribuatur, cū sæpè id alias fieri soleat, & statim ipso nomine quid significetur, se offerat, cū non de quouis perpendiculo, sed de eo quod sit semissem subtensæ dupli arcus, & F angulū subtendat, quem is etiā arcus metiatur. Deinde cū BF perpendiculum AF rectæ insisteret, quæ est Triquetri propositi latus, quod totum Triquetrum sustinet, nō sine ratione AF basis nomine venit. Contrā si AF rectæ nomen perpendiculi tribuatur, BF basis nomē habebit. Quomodo autē AF dici possit perpendiculū ABF anguli, de Gebri definitione & Diagrammate facile

Repete  
 primum  
 Diagrā-  
 ma de  
 quo su-  
 pra.

facile